



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

De objecto sensili. cap. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

sum potius dixisset sentientis animæ facultatem A esse, quæ ab exterioribus obiectis sensilibus patiens quoquo modo & alterata potest omnia illa cognoscere, de quæ illis iudicare.

DE OBIECTO SENSILI.

CAP. VI.

TEXTVS.

TEXTVS.

Διχεται δὲ τὸ αἰσθητὸν τριχῶς· ἓν διὸ ἐστὶ κατὰ αἰσθητὸν αἰσθητὸν τὸ ὅτι ἐστὶ, καὶ συμβεβηκός· τὸ δὲ διὸ, τὸ ἐπὶ ἑαυτὸν ἔχον αἰσθητὸν, τὸ δὲ κοινὸν πάντων.

Dicitur autem sensile tribus modis: quorum duo quidem dicimus per se sentiri, unum autem ex accidente. Duorum autem aliud quidem proprium est vniuscuiusque sensus, aliud autem commune omnium.

Γρα. δ. Ἀσθενὸν δὲ κατὰ ἕνα αἰσθητὸν ἔχει τὸ αἰσθητὸν αἰσθητὸν. B

Dicendum autem per singulos sensus de sensilibus primùm.

COMMENTARIVS LXXVI.

Vniuersa & generalis cognitio in vnaquaque doctrina & disciplina minis perfecta existimatur: nec vllus ea erit contentus, qui aut accurate docere, aut distinctè & perfectè discere velit. Sed post vniuersi generis cognitionem ad singularum specierum peruestigationem vterque profectò accedet. Aristoteles de sensu hætenus vniuersè loquutus ad singulas nunc descendit species; dicendūque de vnoquoque sensu singillatim proponit. At quoniam in tex. 33. de obiecto antea agèdum esse posuerat, quàm de facultatibus: antequàm ad singularum sensuum tractationem accedat, de obiecto sensili dicendum esse constituit.

Antea quidem visus agere de sentiente facultate in genere; nec tamen de sensili obiecto vniuersè sermonem habuisse. At nequaquam ita est. Immo quidquid de sensu docuit, ex obiecto sensili deriuauit; & vt ait Philoponus, de vtroque simul egit. Nam vt mittam id, quod sæpius affirmauit; sensum patiendi facultatem esse, patique, moueri, & alterari ab obiecto sensili: in tex. 52. sensum dixit sine obiecto sensili exteriore nihil sentire; esseque elementorum, aut per se, aut ex accidente. Et in tex. 59. exterius obiectum esse actuum operationis, nec sine eo deduci sensum à potestate ad actum. Et in tex. 60. obiectum sensus esse res singulas, priusque ad sensationem necessarium esse. Ac demum in tex. 62. obiectum sensile actu esse tale, qualis potestate est sensus: & idè ante sensationem esse dissimile, post sensationem simile. Neque præter hæc aliud quidquam ferè supererat, quod de obiecto vniuersè considerato dici hoc loco deberet, aut ad naturam sensus cognoscendam magnoperè pertineret. Iam verò de singulis sensibus acturus, quemadmodum hæc tractatio specialis magis & distincta futura est, sic ad eam se se præparans, magis etiam in specie & distinctè de sensili obiecto loquitur: vt scilicet quenam sit ea, quæ ad sensus propriè pertinet, & quibus vniuscuique sensus constituitur, intelligi possit.

COMMENTARIVS LXXVII.

D Vas igitur sensilium obiectorum diuisiones proponit. Alteram generalem, qua obiectum sensile vniuersum in id diuidit, quod per se, & id, quod ex accidente sentitur. Per se id sentiri dicitur, quod idè sentitur, quia afficit & mouet sensum. Ex accidente autem illud, quod sensum quidem non afficit, cum sensili tamen per se, quod afficit, coniunctum est. Alteram magis specialem: qua obiectum sensile per se rursùm diuidit in obiectum commune, & obiectum proprium. Is tamen omnia hæc simul complectens vnicam quasi partitionem primùm proponit: obiectum sensile triplex esse, duo per se, tertium ex accidente.

Cuius partitionis hæc potest exponi ratio. Quoniam sensus facultas est materialis & organica, tribus modis considerari potest: aut genericè, vt facultas est: aut in specie, vt hæc aut illa facultas est: aut demum, vt materialis & organica; quæ generalis est sensuum omnium conditio. Quatenus genericè consideratur, obiecto sanè sensili eger: quemadmodum nullum est genus à speciebus separatum, ita nec vllus sensus, nec obiectum vllam sensile à speciebus singulis distinctum. At dum in specie singuli sensus accipiuntur, duo existunt sensilium genera; proprium, & ex accidente. Etenim singula facultates opus habent obiecto proprio, à quo & naturam suam, & à cæteris distinctionem accipiant. Hoc sensilis illa qualitas est, circa quam vniuscuiusque operatio versatur: vt aspectabilis qualitas comparatione aspectus, & audibilis comparatione auditus: lumen, inquam, colorque, & sonus. Quocirca cum facultas vnaquæque sensili proprio constituitur & distingatur; manifestum est tot esse priorum sensilium genera, quot sentientes facultates sunt. Loquor de obiectis formaliter consideratis. Sunt autem quinque exteriores facultates sentientes (de his enim nunc sermo, de interioribus postea,) aspectus, auditus, odoratus, gustatus, tactus: totidem igitur sensilium priorum genera; aspectabile, audibile, odorabile, gustabile, tactile. Neque in his enumerandis Philosophus laborauit: quoniam tot esse, quot sensus; manifestum erat, si facultatum numerus ex obiectis deriuatur.

EEE iij

At dum aliquid aliud cum obiecto proprio coniunctum est, alterum existit sensilis genus, quod ex accidente vocatur; propterea quod nec afficiat sensum, nec ad illius naturam constituendam aut distinguendam pertineat; sed cum sensili proprio quoquo modo coniunctum sit. Hoc autem est duplex. Aut enim id, quod coniungitur, est alterius sensus aut facultatis obiectum; non illius, ad quem pertinet illud, cui adiungitur: aut nullius sensus obiectum est. Sanè dulcedo & omnino sapor (hoc vnum ad aliorum omnium exemplum accipiatur) sensile per se & proprium gustatus est, & albedo item aspectus. Sed dum ambæ æqualitates coniunguntur in lacte, dulcedo aspectui & albedo gustatui ex accidente sensiles sunt. Sensui item exteriori ex accidente sensile dicitur id, quod ad superiorem facultatem pertinet: ut esse amicum vel inimicum, esse vniuersale aut intellectibile: quorum illud ad æstimationem spectat, hoc ad intellectum. Hinc in tex. 133. argumentabitur Aristoteles, non esse opus sexto sensui, quo sensilia communia cognoscantur: quoniam si hæc illius essent propria, ex accidente essent reliquis quinque sensibus sensilia. Quia quod est per se vnius sensus, aliorum est ex accidente: nunc autem ab omnibus per se sentiuntur. Denique sensilium quoque priuationes ex accidente sensiles dixeris; quòd cum nullam habeant sensilitatis vim, comparatione tamen habent, cuius priuationes sunt, quoquo modo percipiuntur. Substantiam item indiuiduam ex accidente sensilem esse affirmamus. quòd coloris, odoris, saporis, alteriusque qualitatis per se sensilis subiectum sit. Dum enim hæc per se sentiuntur, illa quoque ex accidente sentiiri dicitur: cum alioqui nullo ipsa sensu sensilis sit. Etenim sensus accidentia diiudicat, substantia mente sola comprehenditur. Quod & apud Aristotelem percipuum est, & omnino sapienter institutum fuit. Aristoteles vbi cumque sensilia per se, tum propria, tum communia, commemorauit, illorumque exempla proposuit; accidentia semper sola nominauit: propria, qualitates, quæ propterea sensiles nominantur; communia, ex alio etiam accidentium genere. Quare cum in libro de sensu & sensili cap. 6. de propriis loqueretur, in omni sensilium genere contrarietatem inesse scripsit: substantiæ autem nihil est contrarium; nisi fortasse ex accidente, quemadmodum in tex. 22. 24. & 49. posterioris libri de ortu & interitu elementis dixit contrarietatem inesse. Quare ut substantia contrarietatem habet ex accidente, quòd adiunctas habet contrarias & pugnares qualitates; ita ex accidente sensilis est, quòd cum iis, quæ per se sentiuntur, coniuncta sit. Etenim quæ est accidentium ratio ad substantiam, eadem sensuum est ad mentem. Accidentia propter substantiam comparata sunt, & sensuum cognitio ad mentis cognitionem refertur. Illa sunt extrinseca velut ornamenta indumentæ substantiæ; & horum cognitio omnis extrinseca est; quæ ad meliorem magisque reconditam substantiæ cognitionem deducit. Accidentibus omnibus præstat substantia, & sensibus cunctis melior mens. Melioris igitur facultatis æquum fuit melius ac præstabilius esse obiectum. Sensus accidentia per se cognoscunt,

se ille ex
accidenti
duplex.

Substantia
in eadem
accidente
sensilis.

substantiam non nisi ex accidente: mens vtrumque entium genus æquè comprehendit: & quidem accidentia meliore prorsus modo, quàm essent à sensibus comprehensa; illorum scilicet vim & naturam totam peruadens. Nam & interior sensus omnia exteriorum obiecta acuit & acriter diiudicat; & omnino superior facultas præstare valet quidquid inferior exequitur; & quidem meliore ac diuiniore modo. In bestis quæ mente carent, verè monuit hoc loco Philosophus in commentario tex. 65. nullam esse cognitionem substantiæ, ut substantia est; sed sub ratione amici aut inimici, quæ sensui exteriori

ex accidente sensilia sunt. Tam verò si sensus consideretur ut materialis & organica facultas est, existunt sensilia communia. Ut enim sensus materiam inuoluit, quantitatem, & extensionem; tum in natura suam in operatione, quam ex se promittit: ita necesse est circa obiectum quantum & extensum versetur; quantitate autem cetera comitantur; figura, numerus, motus, quies. Verum quantum & quot ea sint, mox explicabitur. Jam intelligatur iure optimo appellari communia quòd peculiarem nullam facultatem constituunt, neque vllius proprium obiectum sunt: sed velut conditiones cum obiectis singulorum sensuum propriis semper coniunctæ ad omnes aut certè plures pertinent.

Itaque cum sensile proprium definitur Philosophus esse illud, quod per se ab vnicò sensu sentitur; pulchrè illud & à sensili ex accidente & à communi distinguit. Ab altero quidem, dum dixit esse sensile per se; ab altero autem, dum vnicò sensu sentiiri affirmavit. Non est commune sensile vllius sensus formale obiectum; sed tota huiusvis propria qualitate continetur, quæ à singulis sentitur sensibus. Quantitas & communia sensilia cetera communes conditiones sunt, quæ qualitates singulas comitantur, & ut qualitates sunt, & ut eiusmodi materiali & organica facultate sensiles. Sunt inquam conditiones necessariæ, tum ex parte qualitatis, tum ex parte cognoscentis facultatis: quòd veraque materialis sit; nec illa sine materia & quantitate esse, neque nisi materialia & quanta percipere queat.

Facultas intelligens alterius generis est. Etenim proprium intellectibile obiectum habet, commune autem non habet. Tum quia vnica facultas est, & quæ quidquid ea cognoscit potest, proprium illius obiectum sentitur obiectum. Sermo est de formali obiecto. Nam si de materiali loquaris, accidentium cognitionem verè dixeris communem illi cum sensu. Tum quia immaterialis facultas nec à materia pender, nec à quantitate, aliæ eiusmodi conditione, quæ cum materiali obiecto coniuncta sit. Et idè immaterialiter atque immutabiliter omnia, vel ipsam materiam & mutationem, comprehendit. Quamquam ut à sensu & phantasmæ cognitionem haurit, agere & vix nec nisi rationatione adhibita potest obiectum suum à quantitate aliis conditionibus liberare. Verùm Aristotelis interpretationem prosequamur.

TEXTVS.

TEXTVS.

Αἴτιον δὲ ἰδὼν ἰδῶν, ὃ μὴ ἐστὶν ἰδῶν ἰδῶν...

Dico autem proprium quidem, quod non contingit alio sensu sentiri...

COMMENTARIVS LXXVIII.

IS igitur generali partitione illa sensilis obiecti...

Quo duplici discrimine duas voluit conditiones exponere...

Ceterum Epicurus & antiquiores alij vsque adeo id verum esse voluerunt...

A absque errore corrigatur. Ita sensilia omnium certissima esse inquebant Epicurei...

Academi i contra pugnarunt: maxime Arcefilaus & Carneades; scientiam omnem idcirco negantes...

Ita olim de sensuum cognitione dubitatu. Constat autem, non eodem modo in sensu & intellectu...

Verborum autem Aristotelis, proprium obiectum...

EEE iij

in sensu proprio...

De sensu proprio...

De sensu proprio...

In sensu proprio...

vt nō-
quam
errare
dicatur
sensu.

absque errore à sensu percipi, non eadem fuit om-
nium interpretatio. Sed duas probare non possum.
Alteram Alberti & quorundam aliorum; errare
quidem sensum in obiecto materiali, vt est extra
animam; at non in formali, vt specie representa-
tur: verum eo semper modo percipere, quo illi re-
presentatur. Talis enim producitur sensio, qualis
specie proponitur. Alteram aliorum; nunquam
errare circa obiectum adæquatum, posseque cir-
ca inæquatum errare. Non inquam errare aspec-
tum circa vniuersum aspectabilem genus, sed
circa speciem illius quamquam; vt cum album as-
ferit esse nigrum. Priorem quidem non probo.
Tum quia eodem modo dici posset, nec eum circa
commune sensile errare: cum tamen voluerit Phi-
losophus ita ferè distinguere proprium à commu-
ni, vt circa proprium non erret, erret circa com-
mune: Tum quia vt species non per se sentitur,
sed est id, quo sentitur obiectum: ita neque id esse
potest, circa quod obueniatur error, sed omnis er-
ror circa obiectum erit. Posteriorem autem. Tum
quòd in tex. 161. ex specie adæquati obiecti adfer-
tur exemplum: quòd enim, inquit, album sit, non
est falsum. Tum quòd eodem modo dicerem non
errare circa commune. Nam dum aliquod cor-
pus video, non erro iudicando non esse quantum
aut figuratum: sed in eo, quòd dico esse tantum aut
figura tali præditum.

Ergo Themistius, Philoponus, atque Simpli-
cius, tres addi volunt conditiones, etsi non mani-
feste ab Aristotele expositas; quæ si adsint, nunquã
erretur. Primam ex parte organi; alteram ex parte
medijs, tertiam ex parte obiecti. Organum sit bene
& naturaliter dispositum; medium opportunum,
neque re exteriori impeditum; obiectum in con-
ueniente distantia. Aueroës autem non semper,
sed plerumque. Quod Græci etiam interpretes
fatentur; quòd aliqua conditionum interdum de-
sit: vt apud Themistiiu reperies in cap. 10. 11. & 15.
libri tertij, & Simpliciu in tex. 152. & 161. & Phi-
loponum in eundem tex. 161. & Alexandrum in
priori libro de anima cap. 19.

Vtraque interpretatio ex ipsomet Aristotele pe-
ti potest. Nam in hoc loco vniuersè ait non posse
decipi, & in textu 151. & 156. semper esse verum: at
in tex. 161. semper esse verum, aut minimum habere
falsum; cum in communibus erret sapissimè.
Semper enim est verus, si tres illæ adsint conditio-
nes; interdum falsus, si earum defuerit aliqua. Quã
ob causam id, quod antea fuerat dictum, eum esse
semper verum, meritò fuisse contractum, & tutius
pronuntiatum (aut minimum habens falsum) ad-
notauit Philoponus. Fortasse enim ex affectu, quo
sensum volebat ostendere non esse intellectum nec
phantasiam, audaciùs pronuntiauerat, eum esse
semper verum: postea correxit sermonem & tutius
affirmauit, aut semper verum esse, aut certè rarissi-
mè errare. Nam hoc ipsum satis erat ad eam, quam
posuerat, distinctionem stabilendam. Intellectus
namque & phantasia ad verum & falsum indiffe-
rentes sunt; errantque sapissimè, dum circa obie-
ctum absens operantur, & ab inferioribus alijs fa-
cultatibus pendent; quarum aliqua potest errare.
Sensus plerumque saltem est verus; quòd imme-
diatè circa præsentia versetur.

Aspectus igitur colores cognoscit, nec præter
eum vllus alius sensus: Nec vnquam errat colo-
rem esse iudicans; quia cum sit proprium illius ob-

iectum, aut nil omnino percipiet, aut colorem
percipiet, vereque colorem esse affirmabit. Eo-
dem modo se habet auditus circa sonum, odoratus
circa odorem, gustatus circa saporem. Tactus
plures habet differentias. Nam reliquorum sensu
sum obiecta ad vnã oppositionem pertinent; vt
colores ad albi & nigri oppositionem, soni ad gra-
uem & acutum, odores ad suauem & ingratum, sa-
pores ad dulcem & amarum. At tactus circa ta-
ctiles qualitates occupatus non vnũ aliquod sen-
sibile genus, sed plura cognoscit. Quoniam quali-
tates ex ad vnũ propinquum genus aut opposi-
tionem vnã reuocari non possunt: sed plures
omnino numerantur in textu 8. posterioris libri
de ortu & interitu. Percipit enim tactus calidum
& frigidum, humidum & siccum, graue & leue,
durum & molle, lubricum & aridum, asperum &
lene, crassum & tenue. Quarum etsi alie ad alias
reuocentur; duæ tamen sunt oppositiones princi-
pes, calidi & frigidi, humidi & sicci; quarum vnã
ad aliam non reuocatur. Quam ob causam post
dubitationem proponet, num tactus sit vnus sen-
sus, an plures. Hic tamen ipse sensus hoc cum ca-
teris conuenit; quòd omnes obiectum suum pro-
prium cognoscunt & de illo iudicant, nec circa illud
illud errant. Sed interdum circa ea, quibus illi
accidunt: quæ nimirum ex accidente sentiuntur.

Non inquam errat aspectus iudicando an sit co-
loris, quem videt; & an albus an niger: neque ar-
ditus circa sonum. Sed errare potest circa id, in
quo est color; aut locum, vbi sit: quæ sunt sensu-
lia ex accidente & communia: existimando ni-
uem esse id, quod cernit album; & fortasse erit
vellus, aut aliud quiddam. Aut iudicando esse in
vno loco, & erit in alio: aut in vna distantia, &
erit in alia. Aut circa id, quod sonat, aut locum
distantiamque, in qua excitatur sonus. Atque in
alijs sensibus eodem modo. Itaque si per vitre-
vitrum aspicias, omnia cernis viridia. Erras ni-
mirum: quòd vitri colorem alii quoque corpo-
ribus inesse iudicet. Idem ægrotorum error, dum
palati linguæ amaritudinem inesse cibis putant.
Hoc est, quòd Philoponus aspectum dixit & au-
ditum non errare in eo, quòd colorem aut sonum
esse dicant; sed in eo, quòd huius vel illius corporis
esse iudicent. Et in tex. 161. quòd, inquit, album sit,
non est falsus: si autem album hoc aut aliud quid-
piam, falsus est.

In sensibili communi crebrior est error, tum in ap-
plicatione; tum verò etiam in tota illius ratione.
Nam ea moueri iudicamus, quæ quiescunt; eaque
quiescere, quæ mouentur. Minus hæc mouent de
afficiunt sensum, minoremque cum eo proportio-
nem & nexum habent. Quare in textu 135. ea
extat causa, cur factum sit, vt hæc sensilia pluri-
bus sensibus, non vno, vt propria, sentiantur.
Quoniam cum leuiter moueant, facilis erat in
illis error. Idèò prouisum, vt si vnus sensus non
satis moueretur aut erraret, alius adesset, qui dete-
ctum compensaret aut corrigeret.

Tandem concludens Philoponus, expositum
fuisse qualenam sit cuiusque sensus obiectum
apertè significat propterea duas illas conditio-
nes fuisse expositas, vt & vno sentiretur sensu,
& absque errore; vt quale id esset ostenderetur.
Non autem, quemadmodum interpretatus est
Philoponus, vt sensibile proprium distingueret &
separaret à communi, & eo quod ex accidente
sentiretur

sentitur: quod & pluribus sensibus & sæpè cum errore sentiuntur. Nam etsi ex singulorum propriis conditionibus cognoscatur, quid inter ea intersit; hoc tamen non fuisse potissimum Aristoteli propositum exponere, sed singula potius propositæ diuisionis membra declarare & quale sit vnumquodque explicare; tum ex postremis huius textus verbis manifestum est; tum ex ipsius explanationis initio. Cum enim obiectum proprium, commune, & quod ex accidente sentitur, numerasset; statim adiunxit; Dico autem proprium quidem, &c. Nimirum exponens quid vnumquodque significet eorum, quæ numerauerat.

TEXTVS.

Communia autem, motus, quietes, numerus, figura, magnitudo.

COMMENTARIVS LXXIX.

Postquam primum diuisionis membrum exposuit, quod primum & per se sensibile dicitur; aggreditur alterum, quod etsi non sit primum, est tamen per se sensibile: paucisque exponit quænam communia sensilia sint, & cur ita nominentur. Communia sensilia quinque omnino commemorat; motum, quietem, numerum, figuram, magnitudinem. Eandem numerum fecit in libro de sensu & sensibili cap. 1. cui asperum & lene, acutum & obtusum addidit in cap. 4. cum Democritum & naturales alios Philosophos reprehenderet, quod propria & communia sensilia non distinguissent. Sed ea ad magnitudinem reuocauit; dum & ex quinque antea numeratis solas accepit magnitudinem & figuram illisque asperum & lene, acutum & obtusum, addidit; & hæc ipsa addens ita loquutus est. (Amplius autem acutum & obtusum, quod in molibus, &c.) In textu etiam 133. hæc rursus sensilia quinque commemorans addit vnum: quod tamen ad numerum reuocari potest & sub eo existimes fuisse hoc loco comprehensum.

Alexander autem in comment. 36. in libro de sensu & sensibili addidit interuallum. Et Nemesias in li. 4. suæ philosophiæ cap. 3. locum, distantiam, situm, asperum & lene, æquale & inæquale, acutum & obtusum. Alij etiam maius & minus, simile & dissimile, aliaque complura; vt apud Vitellionem lib. 3. aliosque perspectiuos videre est. Verum aut dici potest, Aristotelis consilium non fuisse sensilia omnia communia hoc loco colligere (neque enim id erat necessarium, cum ex illis neque constituantur neque distinguantur facultates, quemadmodum ex propriis) sed præcipua quædam tanquam aliorum exempla proponere. Quod ex eo colligi potest, quod diuersis in locis ea diuerso modo proposuit. Interdum enim hæc quinque nominauit; interdum adiecit sextum, interdum duo ex illis duntaxat, alijs quibusdam

adiunctis. Aut respondere licet, his quinque commemoratis omnia quodam modo fuisse proposita: quoniam ad hæc quasi summa capita possunt cætera reuocari. Sicut enim asperum & lene, acutum & obtusum, ad magnitudinem pertinent & figuram; sic vnum reducitur ad numerum; interuallum aut distantia ad magnitudinem, quia longitudo quædam est: locus item, quia superficies: aut si maius ad motum & quietem, quatenus corpus vel in loco & spatio mouetur, vel in eo quiescit: situs quoque ad locum pertinet, partiumque corporis in loco positionem significat. Reliqua demum omnia partim ad magnitudinem spectant, partim ad figuram.

Sunt autem sensilia communia vt conditiones quædam ab obiecto proprio inseparabiles. Quæ cum omnibus hisce facultatibus conueniant, quatenus omnes materiales sunt & organice; communia obiecta vocantur. Nam & obiectum illud oportet esse quantum, quoniam à facultate quanta cognoscitur. Et quia omne quantum est finitum terminisque quibusdam conclusum, vltimam habet superficiem & figuram, hoc est *σφραγισμὸν*, inquit Philoponus, delineationem & circumscriptionem. Tum verò quidquid sensu percipitur, à quocumque alio distinctum est; eademque sententia possunt multa sentiri. Ideo sensus in suum obiectum fertur aut sub ratione vnius, aut sub ratione multitudinis & numeri: non quidem formaliter considerati; quatenus numerus est & vnitatum quædam collectio; sed materialiter, quatenus plures sunt res numerate atque ab inuicem distinctæ. Ita tollitur dubitatio Philoponi, quam proposuit ex textu. 131. libri quarti Physic. vbi solus intellectus dicitur numerare posse. Solus namque intellectus numeri formam aut etiam mathematicum & mente abstractum numerum apprehendit: sensus res ipsas rerumque numeratarum multitudinem, quæ in natura coheret, percipit.

Quod vnitatem quoque nominari, quam hoc loco Philosophus prætermisit, contentaneè loquutus sum eidem Philosopho, qui in text. 132. eam cum numero numerabit: & rationi. Nam cum numerus ex vnitatibus constet, si numerum sensus cognoscat, vnitatem quoque cognoscat necesse est. Et quemadmodum multa simul sentire potest, sic & vnum duntaxat seorsim percipere.

Postremò quælibet res quanta est apta moueri loco, fluereque & agitari in aliquo spatio, ita vt alio atque alio modo se habeat; agitatione quoque illa alio atque alio modo successiue afficiendo sensum, dum locum mutat & situm. Aut quiescere potest in eodem loco, & situ, eodem semper modo immutando sensum. Itaque dum sensus rem quantam cognoscit, aut eam cognoscit in motu, aut in quiete: non quidem motum & quietem formaliter cognoscendo, quatenus aut fluxum aut illius priuationem significant: sed materialiter, quatenus quietem permanentem rem eodemque modo afficientem sensum significat; & motus rem alio atque alio modo in loco & situ sese habentem, atque cum successione mutantem locum & situm, alioque modo, quam antea, mouentem sensum. Sane Plotinus in lib. de generibus entis cap. 23. motum verissimè dixit

Num. sensibile.

Motus & quietes vt sensibiles.

per se inuisibilem esse; neque motum, sed pedes agentes sese, à nobis videri; quatenus eos alium atque alium habentes locum neque alicubi quiescentes videmus. Alterationem quoque ex eo, quod alteratur, animaduerti; quod qualitas non eadem sentiat. Sed quod propterea voluerit ille motum ex accidenti sentiri; omnino probandum non est. Sentitur enim per se, velut propriorum sensilium modus. Obiecta namque communia velut conditiones sunt cum obiectis propriis coniunctæ, propter eam, quam superius exposui, causam. Quoniam enim sensus facultas est materialis & organica, obiectum illius oportet esse quantum; quantitatem autem cætera consequuntur, figura, numerus, motus, & quies. Neque moueat quemquam, quod Galenus in libro tertio de dignoscendis pulsibus cap. 1. motum conatus est probare nullo sensu sentiri, sola mente comprehendendi. Quoniam bestia nullum motum haberent sensum; quas tamen eum sentire certum est; quia & canis moventem se loco dominum sequitur, eoque quiescente quiescit; & omnes omnino ab incurrentibus & motis obiectis terrentur & fugiunt; & id genus plurima.

Aristoteli porò quantitatem libuit postremo loco numerare; quoniam motus, quies, & numerus, sensibus omnibus verè communia sunt; figura & quantitas solis aspectu & tactu dignoscuntur. Sed & aliis in locis alium ordinem seruauit.

Digestio xxxiii. De Sensilium obiectorum quantitate & numero.

Iam prætermittendum non est id, quod sæpius diximus, obiectum sensibile quantitatem semper habere, ita verum esse, vt optimè in libro de sensu & sensibili cap. 6. & vltimo disputauerit Aristoteles impartibile omnino sentiri non posse. Nam vt facultatem materialem, quantitatem, & organicam mittam obiectum accommodatum sibi & proportionatum postulare; omneque obiectum sensibile materiale esse, materiamque quantitatem semper habere: nec formas substantia naturales, cum quibus sensibiles qualitates copulatæ semper sunt, non nisi in materia quanta coherere: sentiendi virtus finita est & certam habet actionis spheram, vltra quam operari non potest. In huius termino si impartibile quidpiam sit, illud sanè sentietur & non sentietur: sentietur, quia non est vltra sensationis terminum; non sentietur autem, quoniam extra actionis sensus spheram exiit. Deinde quoniam eò perfectior existimatur facultas, quò minora potest obiecta percipere; infinita oporteret eam esse perfectionem & virtutem, quæ impartibile obiectum comprehenderet. Propterea quò minus est obiectum, eò propius apponitur sensui. At si in infinitum esset minus, in infinitum apponi deberet; hoc est si esset impartibile, deberet supra ipsum sensum poni: atqui post demonstrabitur, sensibile supra sensum positum sentiri non posse. Omne igitur sensibile fuerit quantum; quantitatisque maior aut minor appositio aut distantia respondebit.

At omne quantum est partibile: omne igitur

A sensibile partibile fuerit. Duobus autem modis partitio fiet, aut enim genus in species, aut totum coniunctum in quantitatis partes diuidemus. Si sensibile obiectum per se consideretur, vt qualitas est, & alicuius sensus proprium; nequaquam illud in infinitum diuides, sed in colorum species, sonorum, aliarumque qualitatum, numero certo comprehensas. Quoniam vnusquodque sensibile duas habet extremas species, vt color album & nigrum: vbi verò extrema sunt, necesse est finita esse ea, quæ inter illa continentur. Sin autem quantitatis fiat diuisio, quemadmodum aliud quoduis continuum, diuidi in infinitum potest, non æquales, sed inæquales & minores subinde partes accipiendi. Erit tamen tam parua tandem quantitas, vt nec substantiæ forma, nec sensibiles qualitates conseruetur: nisi fortasse in elementis, quæ probabilè est determinatam quantitatem minimam non habere. In cæteris potestate solam & assignatione licebit in infinitum progredi.

B Maior difficultas, an possit sensibile corpus esse tam partium, vt omnem effugiat sensum, nec profusus sentiri queat. Fieri posse non dubito, vt quidpiam sit sensibile affectum, quod neque actu sentiat, neque ob paritatem sentiri ab aliquo animali queat; tum in individuo; tum in specie vniuersa. Omnis enim facultas sentiens & in individuo & in specie determinatam habet virtutem; quæ vt ad certam distantiam & non maiorem, ita circa tantam quantitatem & non minorem operari potest: quòd & maior distantia & minor quantitas maiorem querant virtutem. Ex experientia compertum est, quædam esse tam exigua, vt ab animalibus quibusdam omnino non percipiuntur: quæ tamen comprehenduntur ab aliis: siue de indiuiduis loquaris, siue de speciebus. Quod enim ab indiuiduo vno aut à tota vna specie non percipitur; id ab alio speciei eiusdem indiuiduo, ab aliaque specie comprehenditur.

D Quoniam ob meliorem organorum conditionem spiritusque tenuitatem ac puritatem, & in vno indiuiduo acutior, quam in alio, est sensus; & in vna specie robustior virtus, quam in alia.

E Nihil autem arbitror in rerum natura tam paruum re ipsa existere, vt aliquo alicuius animalis sensu comprehendi non possit. Testatur experientia; & confirmat ratio. Frustrà enim esset sensibile illud corpus, quod à nullo sentiri posset: & superuacanea iudicaretur illa facultas, cuius nullus potest esse actus. Immo verò cum facultas suapte natura referatur ad actum, sensibileque potestatem significet comparatione actus sentiendi; pugnantia loqueretur is, qui aliquod diceret esse sensibile corpus, quod sentiri non posset, propterea enim sensibile est, quia sentiri potest ab aliquo, qui sentiendi virtutem habeat.

At quoniam sensibile omne quantum est & diuisio capax; si diuidatur euntne semper etiam sensibiles illius partes? Eas quoque opinor sensibiles fore, modò conseruentur neque in circumiectum corpus mutantur. Quandiu enim conseruantur illæ, necesse est sensibiles item qualitates in illis velut dispositiones conseruari, vt calorem & siccitatem in igne. Omneque corpus naturale, siue simplex, siue mixtum, sensibilibus qualitatibus